DE CHLOROSIS NATVRA ATQVE MEDELA,

CONSENTIENTE
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE
IN
VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI
DOCTORIS MEDICI HONORES
LEGITIME CAPESSITVRVS
A. D. III. DECEMBRIS CIↃIↃCCXCVIII.
PVBLICE DISSERET

IOANNES MAXIMILIANVS NEVMANN
CRAPPITZIO - SILESIVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

SVMME REVERENDO ET DOCTISSIMO

DOMINO

GEORGIO HENRICO NEVMANN

VENERANDI COLLEGII CANONICORVM

QVOD OPPOLII A SANCTA CRVCE NOMEN HABET

PRAELATO ATQVE DECANO

IN OPPOLIENSI CIRCVLO

A COMMISSIS EPISCOPI

PATRVO SVO

PROPTER

PATERNVM ANIMVM SIBI ABVNDE

PRAESTITVM

ATQVE INNVMERIS BENEFICIJS

LVCVLENTER DECLARATVM

EA QVAM PATRI FILIVS DEBET REVERENTIA

AD CINERS COLENDO

NEC NON

VIRO

EXPERIENTSSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

IOANNI VERNER

MEDICINAE DOCTORI

CIVITATIS ET CIRCVLI RATIBORIENSIS

PHYSICO REGIO

AVVNCVLO SVO SVMME DEVENERANDO

HAS QVALESCVNQVE

STVDIORVM ACADEMICORVM PRIMITIAS

IN

GRATISSIMI ANIMI

AMORIS ATQVE PIETATIS

TESSERAM

SACRAS ESSE CVPIT

AVCTOR

PRAEMONENDA.

Quotusquisque est, qui passionem, quam nunc pertractare mihi animus est, rite obseruauerit, qui nesciat, eam multis nominibus miserandam esse. Etenim laetissimam non raro valetudinem pessumdat ipsiusque mortis caussa subinde euadit, lento quidem gradu accedentis, sed de praeda sua adeo nonnunquam certae, vt, ni fallor, plures medici de victoria ipsi dubia facienda fere desperauerint. Quodsi etiam mortem euadere miserae aegrotae contigit, eheu quantos, nisi initio statim obuiam itum fuerit, cruciatus perferre debuit, quamque multis vulneribus illa

victoria

victoria flebilis fuit! In calamitoſae huius aegritudinis naturam atque medelam intentis animi neruis inquirere, operae omnino pretium eſt. Quod legi, quae vllum, niſi de re aliqua docta publice diſſeruerit doctoralium honorum participem fieri vetat, obediens, virium mearum, quae quam ſint exiguae, probe ſentio, periculum facere iuſſus, ad explicandam hanc aegritudinem animum meum appuli. Cuius audaciae culpam in me fere non admiſſurus fuiſſem, niſi prorſus feliciter mihi accidiſſet, vt de hoc morbo FRANKIVM *illuſtrem virum diſſerentem audirem. Igitur, quae forte bonae frugis in hoc libello inueniuntur, viro eximio et ſupra meas laudes longiſſime poſito accepta ferant, lectores rogo; quae minus accurate diſputata tyronem redolent, plurima vero redolere ſcio, horum omnium veniam a lectorum precor indulgentia.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

CHLOROSIS PATHOLOGIAM EXHIBENS.

§. I.

Introductio.

Chlorosis pathologiam expositurus, commodum habeo, primo eius symptomata, quae omnes fere corporis partes, tum externas, tum internas nonnunquam infestant, pro virium modulo recensere, deinde caussas huius passionis cum symptomatibus, quibus stipari solet conferendo, de ipsius caussa proxima naturaque disputare. Nequaquam enim aegritudinis alicuius caussam proximam inuestigandi periculum inire possumus, nisi eius historiam, quae profecto non solum prae-

obstructio; vrina initio plerumque pallida; increscente vero morbo turbida, iumentosa; mensium, qui aut nondum fluebant, aut retinebantur, sub haemorrhagiae forma, per solitas, insolitasue vias eruptio; pedum frigus et ad motum inertia; totius corporis color naturalis in alienum fere mutatus, apparente simul pastacea totius corporis intumescentia (leucophlegmatia). Interdum crusta scabiei similis mucum densum exstillans corpus defoedat *). Caussae cotundentes facilius, quam alias fieri solet, ecchymosin afferre solent. Finitur haec aegritudo aut in sanitatem, aut accedente febre lenta, phthisi pulmonali, vel cauitatum maiorum hydrope, in mortem; transit etiam nonnunquam in asthma, hydropem cutis externae, (anasarca) melancholiam immo et maniam.

§. IV.

De chlorosis caussis atque natura.

Omnes profecto, quos enumeraui affectus satis superque de virium corporis in hoc

*) Scabie humida totius corporis chlorosin multum leuatam vidit KLEIN (interpres clinic. ed. Halleri p. 37.)

hoc morbo defectu teſtantur; quapropter hanc paſſionem ad cachexias merito retulerunt medici. Quanquam autem totius virium ſyſtematis debilitatem in chloroſi adeſſe omnino ſtatui debeat, proprietas tamen tanquam cauſſa proxima chloroſis (et forſitan omnium cachexiarum) in eo conſiſtere mihi videtur, quod illae praeprimis male affectae ſunt vires, quae perficiendo corpori humano inprimis praeſunt; ita, vt, quae corpus foemininum, modo plane inexplicabili ad maiorem perfectionem ducere deberent, organa in actione ſua valde praepediantur. Hac de cauſſa appetitus in chloroſi ſemper deprauatus eſſe atque haec paſſio ea potiſſimum aetate ingruere videtur, qua nouas, ad corporisque ſui perfectionem maxime neceſſarias puella ſubire debet mutationes. Nec latet ratio, ob quam menſium defectus hancce paſſionem ſemper comitari ſolet. Amenorrhoea enim aut ex roboris vitalis ſanguinisque ipſius exſuperantia, aut e vis vitalis ſanguinisque defectu, aut ex mechanico aliquo profluuii obſtaculo oritur. Primo in caſu a ſanguine exſuperante vaſa vterina praeter modum extenduntur, extenſione in iſtis vaſis ſpasmus excitatur, qui, quo maiore vi gaudent vaſa, eo intenſior diuturniorque euadit. Spaſmus autem vaſorum oſtia praecludit, ſanguinique iam per ſe ſatis cohae-

renti,

renti, quo minus effluere queat, impedimentum opponit. Oritur tunc primo in iis vasis vterinis, quae aut natura capaciora, aut spasmo minus affecta sunt sanguinis cumulatio, congestio, stasis, et forte acrimonia; quam ex mensium suppressione sanguinem contrahere, eo probabilius est, quo minus credibile est, vterum sanguinem propter eius abundantiam vnice dimittere. Profecto ad secretiones corpori foeminino certa aetate maxime necessarias, illud lunare pertinet vteri officium. Iam si e materia secernanda excernendaque animali quacunque, dum retinetur, acrimoniam nasci concesseris: eandem ex vterina secretione cohibita in sanguinem inferri, temere negaueris. Igitur sanguis congestus aut mole, aut quam forsitan acquisiuit, acritate irritat vteri neruos; irritatio aliis quoque partibus communicatur. Irritatio partibus illis communicata spasmos dolores et actione vasorum aucta, congestiones adducit; quae etiam a spasmo vasorum vteri oriri possunt. Sic digestio, chylificatio et sanguificatio ipsa turbatur, spirandi difficultas nascitur, cutis, et ipsum quoque sensorium commune in consensum trahitur. Itaque patet ratio, quare tam varia symptomata aegritudinem chloreticam comitari solent. Neque non notari

mere-

meretur, morbum ipſum ſymptomatibus, quibus ſeſe manifeſtat, mirum quantum augeri. Nam, quam exitioſae ſint diuturnae digeſtionis, officii cutanei, reſpirationis etc. laeſiones et quantum hae ad oeconomiae animalis ordinem turbandum valeant, is modo ignorat, qui functionum adeo nobilium vtilitatem ad corporis conſeruationem e phyſiologia non ſatis perſpexerit Si autem potentiae, quae debilitando agunt, ante amenorrhoeam corpus peſſumdabant, menſium defectus ipſe cachexiae chloroticae initium aut ſaltem ſymptoma eſſe, mihi ſaltem videtur. Morbum autem chloroticum amenorrhoeae vitio, etiam in hoc caſu, multum augeri, omnino credibile eſt; quoniam mutationes menſium tempore in corpore foeminino fieri ſuetae ad maiorem eius perfectionem haud parum conferre videntur. At enimuero, quamuis minime negauerim, chloroſin ex amenorrhoea eo magis exacerbari, quo magis ipſa e turbatis functionibus conſeruando et firmando foeminino corpori inſeruientibus ortum ducit, nihilo tamen minus exiſtimo menſium fluxum interdum in chloroſi ſalutariter ſupprimi, vt ſanguinis inopia maior caueatur. Eorum, quae huic naturali profluuio aliquod impedimentum mechanicum obmo-

uent

uent, triplicem esse rationem puto. Sunt enim membranae, aut congenitae aut post aliquam partium pudendarum laesionem natae cicatrices et coalescentiae, tum in vaginae introitu collocatae, tum in eadem altius positae, quae, dum sanguinis in vtero quidem secreti, menstruam excretionem fieri non sinunt, amenorrhoeam vtique efficiant. Quae his ex impedimentis orta, variam quoque calamitatem puellis infert, e secreto sed retento sanguine, eiusque in vterum vaginamque, nec non in adiacentes partes incumbente mole, acrimoniaque, quam diuturniori mora contraxerit, declarandam*); sed chlorosi fere nunquam puellas vitiat. Longe alia illorum concrementorum est ratio, quae in ipso vtero continentur. Horum nonnulla praeter sanitatis normam exoriuntur, quae nisi ratione partis, quam occupant, suarumque functionum, morbosae non sunt. Alia contra, concrementa ipsa manifeste morbosa sunt, e. gr. callus steatoma, polypus vteri, concrementa vteri calculosa ab HIPPOCRATE et SCHENKIO obseruata etc. quae omnia nisus formatiui errori ortum suum debent. Ex his, quae secun-

*) ASTRUC malad. des femmes T. I. Ch. V. p. 185. sequ.

ſecundum ſuam naturam vitio carent, chloroſin, praepediendo menſium ſecretionem, quin et in vagina nonnunquam forte nata eorum excretionem, efficere videntur Longe diuerſa denique eorum concrementorum eſſe videtur ratio, quae per ſe morboſa ſunt. Haec enim pro chloroſis ex aberrante niſu formatiuo ſymptomate haberi debent; vnde morbum, modo antea tradito, *augeri* neceſſe eſt. Quam diſtinctionem pro mere hypothetica aeſtimare vix medico licet; quum et in prognoſi et in curatione ad eam reſpicere haud inutile erit. Sponte pater, chloroſin etiam aliunde ortam, quodſi vi morbi ſecundi generis concrementa in vtero nata fuerint, ex nouo hoc cauſſarum augmento et augeri multoque fieri pertinaciorem.

§. V.

De hydrope chloroſi ſaepe analogo.

Haud exigua ſane inter chloroſin ſimilitudo intercedit atque hydropem. Et proxime quidem a chloroſi, quoad vtrarumque paſſionum formam, abeſt anaſarca, in quem hydropem illa interdum mutatur. Verum in anaſarca cutis tumor durior eſt preſſionique minus cedit, quam in chloroſi, quae cutem paſtaceo modo tumore deformatam

ostendit. Accedente autem in chlorosi abdominis tumore, ascitae etiam haud infrequenter induit speciem. Absentia tamen sitis morbose auctae et, nisi abdomen valde tumefactum sit, fluctuationis, pariter ac sedimenti rubri in vrina defectus, indicant ascitem, qui ceterum chlorosi sociari potest, nondum adesse; vix autem notari meretur, infimi ventris hydropem, absentibus licet memoratis symptomatibus, tamen clandestina initia ducere posse *). Dyspnoea, quae

*) Notatu valde dignum est, hydropis saccati, qui medico alicui sub grauiditatis forma imposuit exemplum a' celeberrimo meo doctore, quem pie colere nunquam desinam, FRANKIO enarratum. Uxor pistoris alicuius L. annorum plures iam pepererat infantes, quare se grauiditatis notas optime edoctam credebat. Quinquagesimo anno phthisi et hydrope laborans, praeter praeconceptam a foetus motu sensationem plura grauiditatis signa habebat. FRANKIVS quidem, ob foeminae aetatis rationem, grauiditatis non adeo credulus fuit, tamen, cum exempla adsint de grauiditate vsque ad LIII. annum, explorabat os vteri sicut et abdomen, percepitque manu motum aliquem quasi a foetu; minime tamen fallaci grauiditatis signo fidem habens, aegrotam reliquit. Accedebat alius medicus, qui foeminam grauidam esse credebat. Foemina

quae chlorosin comitatur, hydropis in pectore suspicionem mouere potest. Absentibus tamen sequentibus signis: ponderis ad diaphragmatis margines sensu; oppressione primum somnum cum anxietatis et suffocationis sensu intercipiente, quae erecto corpore augetur supino vel in alterutrum latus decubitu leuatur; siti; vrina pauca lateritia; dolore dorsi et scapularum; strepitu e concusso pectore, ad hydrothoracem concludere non licet. Minime tamen dissimulandum erit, pectus hydropis aliquo gradu affici posse, etiamsi symptomata memorata non adessent.

§. VI.

Quo differat chlorosis ab ictero.

Aliqua quidem nonnunquam est inter chlorosin et icterum chronicum viridescentem nigrescentemque similitudo. Albugi-

 neae

Foemina post aliquot hebdomades moriebatur; medicus, foetum in vtero esse credens, sectionem caesaream instituit, sed foetus exspectati loco, aquam in duobus saccis extra vterum libere in abdomine pendentibus inuenit. Qui sacci, si abdomen per manus ipsi applicatas mouebatur, motum siue ictum quasi a foetu prodebant.

neae vero, et humorum ſecretorum aquoſorum, vrinae inprimis, color in ictero flauus, diuerſitatem luculenter oſtendit; quam ſymptomata concomitantia in vtroque morbo diuerſa cauſſarumque differentia inſuper declarat.

§. VII.

Prognoſis.

Chloroſis ſemper ſiſtit aegritudinem curatu valde difficilem; inprimis, ſi diuturnitate altas radices egit atque hydropem phthiſinque in ſui conſortinm traxit. Quo iuniores ſunt aegrotae et quo minus inueterauit aegritudo, eo maiorem ſanationis ſpem fouere licet. Quo magis turbatae ſunt naturales functiones et, quod ad eas aliquatenus pertinere videtur, menſtruationis beneficium, prorſus et pertinaciter interceptum eſt, eo grauiorem eſſe morbum facile perſpicitnr. Quo magis igitur faciei color a naturali ſuetoque in ea aetate decore abeſt; quo appetitus deprauatior, vrina tenuior aut turbatior eſt: eo grauior eſſe morbus ſolet. Spes e contra aegrotis affulget, ſi vrina antea alba et tenuis, nullo aſſumto cibo, potu aut pharmaco eam tingente, colorem aſpectumque naturalem recuperat; ſi appe-

titus

titus antea fere deletus paulatim vigescere incipit; si menstruatio iusto tempore et sufficiente, pro virium conditione, quantitate iterum apparet. Maximam autem spem facit, circulus sanguinis antea valde debilis nunc actiuior, ita, vt pusus pleniores fiant.

Chlorosis vis vitalis energiae iusto intensiori ortum suum debens, nisi haec aegritudine ipsa iam valde debilitata fuerit, curationem facilius admittit, quam illa huius morbi species, quae ex debilitantibus caussis originem ducebat. Maiorem etiam salutis spem habere licebit, vbi amenorrhoea chlorosis comes, ex impedimentis mechanicis per se non morbosis oritur, quam in iis casibus, vbi obstaculum istud iam per se morbosum est; quoniam nimirum id non semper remoueri potest *), et, si aufertur, facile renascitur. Quamuis enim sublato obstaculo menses redeant, eorumque fluxus, qui antea impeditus morbum augebat, nunc leuamen aliquod afferat; tamen nisus formatiui actio minus recta saepe perseuerat, et obstaculum istud haud infrequenter regene-

*) Suppressio, quae ab vteri cicatrice post vlcera et vulnera incurabilis est. DECK. vid. KLEIN lib. c. p. 181.

regeneratur, quod menſium effluxum iterum impediendo, totam aegritudinem adauget.

SECTIO SECVNDA

CHLOROSIS CVRAM TRADENS.

§. I.

Introductio.

Quum curationis conſilium generatim in eo conſiſtat, vt ea mutatio corporis humani interna, quae phaenomenis morboſis proxime ſubeſt, amoueatur, talisque viribus corpus humanum conſtituentibus inducatur ſtatus, qualis ad prosperam valetudinem reuocandam firmandamque neceſſario requiritur: facile perſpici poteſt, roboranti methodo praecipuum in chloroſis curatione concedendum eſſe locum; ſiquidem inter omnes conſtat, quod ſupra monuimus, virium vitalium inertia chloroſis naturam atque indolem maxime contineri. At enimuero

uero, quoniam naturam alicuius aegritudinis, (siue morbum, qui passioni aut symptomatum cohorti subest) auertere nequimus, nisi eius caussa proxima, quae in remotarum congressu consistit, aut certe earum concursu excluditur *), caussarum, quas remotas dicunt, abolitione tollatur: profecto chlorosis curam feliciori constantiorique euentu gerere nequimus, quam si, dum laesioni, qua corpus vitiauit morbus mederi studemus, eius caussarum remotarum proscriptioni simul operam nostram addicimus. Chlorosin ad cachexias pertinere, apud omnes in confesso est; cui tamen tantum non semper menischesis se adiungit, ita vt ex ea ortum suum plerumque ducere soleat. Duplex igitur medici officium erit, alterum, vt menstruam vteri euacuationem aut sollicitet nondum inchoatam, aut reuocet suppressam, aut augeat nimis parcam, verbo, ad naturalem ordinem hanc excretionem perducat; alterum, vt malum corporis habitum emendet, qui vt ex amenorrhoea nonnunquam nascitur, ita huic saepe natales praebuit. Iam ad menischesin tollendam ad eius caussas respiciendum erit. Sunt inter has

*) Vide SELLII, clarissimi viri pyretolog. edit. tert. p. 35.

has potiſſimae: potentiae debilitantes, internae et externae; vis vitalis iuſto actuoſior*), quae ſaltem plurimorum medicorum eſt ſententia; aut denique menſium obſtacula mechanica. Igitur chloroſis curam feliciter geſturus, omnino ad has ſingulares cauſſas reſpicere earumque vim chloroſin augendi ſuccidere debet. Verumtamen, ſi iam confirmata eſt chloroſis, totius curationis cardo in roborante methodo vertitur; quamuis ſpecialis cauſſarum remotarum cura minime negligenda ſit, quae adeo, ſi morbus fieri incipit, vel ipſo morbo maiorem attentionem merentur; ita tamen, vt ſemper memores ſimus ſingularis aegritudinis naturae, cuius incrementum ab aegrota arcere conamur. Quod, vt accuratius exponam, commodum habeo, tradita prius chloroſis cura generali, ſpecialem pro triplici principiorum ordine ſeorſim conſiderare.

§. II.

Cura chloroſis generalis.

Generatim omni chloroſi confirmatae, vti iam §. antecedente oſtendi, roborans medicina

*) Quae hanc inducunt, potentiae agentes, remotiores ſunt chloroſis cauſſae.

..na, victus et regimen opponi debent. roborantium medicamentario apparatu praestantissimi usus sunt: cortex Peruuianus, inprimis flauus siue regius, martialia, aromatica, amara pura, vinum; quibus subinde addere conuenit resoluentia selectiora, simul tonica neruorumque systemati amica; quo nomine maxime commendanda veniunt gummata ferulacea. His congruus opii vsus, partim ad leuandos dolores sedandosque spasmos, partim vt medicamentorum roborantium, praecipue martis vsum ferre possit aegrota, saepe adiungendus est. Simul regiminis vitaeque congrua ratio accurate habeatur, oportet. Corporis motus viribus respondere debet, quem igitur modum non excedere, multo minus negligi, fas est. Aëre puro, sicco, frigidiusculo, nec tamen nimis frigido vti, egregie conducit. Animo semper tales aegrotae sint hilari, aut saltem non tristi, curandum est. Deambulent igitur sub coelo puro, et imprimis, quum in moestitiam valde pronae sint, amicis comitantibus, quae ipsarum animum a seriis atque tristibus cogitationibus auocent eumque suaui colloquio erigant. Eximii quoque vsus erunt, corporis totius pannis laneis fumo baccarum iuniperi, mastiches simil. impraegnatis frictiones aliquoties quotidie instituendae. Victu bene nutriente, potissimum

mum ex carne, praecipue aſſata, maxime ex venatione, coctionis tamen vires non ſuperante, veſcantur aegrotae, neceſſe eſt. Cibis autem, propter officinae digeſtioni inſeruientis debilitatem, condimentum aliquod, pro ventriculi incitabilitatis gradu, mox mitius mox acrius addi debet. Praeſtantiſſima aromata petuntur ex cinnamomo, nuce moschata cardamomoque. Potus ſit parcus, roborans; quare cereuiſiam amaro quodam, vel puro, vel paululum aromatico conditam, qualis Anglicana eſt, ceteris praeferrem. Nonnullis hauſtus vini Hungarici, vel ſubadſtringentis rubri Gallici generoſioris pomis aurantiis recentibus conditi, egregie conducit. Balnea frigida a nonnullis laudantur. Inquirendum autem eſt, numne tanta debilitati iuncta ſit incitabilitas, vt metueri debeat, ne ferre non poſſint. Si igitur chloroticam balneis vti volumus, ſemper a tepidis inchoare, et ſenſim ſenſimque frigidioribus eam aſſuefieri, prudentiae erit. Balneo inſeruiat aut aqua ſoteria martialis, aut dulcis, in qua martiales globuli ſoluti, ſimulque herbae neruinae temperatae, quae nimis graui odore non laedunt, decoctae fuerint.

§. III.

§. III.

Specialior chlorosis curatio.

Si roboris vitalis sanguinisque exsuperantia chlorosi ortum dedit atque morbus recens e sola fere mensium suppressione natoque inde peruerso humorum circuitu nuper origines duxit, adeoque ab omni vera debilitate alienus est; spuriam enim ab accumulato sanguine subinde nasci, experientia iam pridem docuit: vlterius morbi incrementum methodo debilitante prudenter adhibenda impedire possumus. Conducunt itaque victus tenuis; venae sectio; cremor tartari, sal Glauberi, et, quod ex nonnullorum obseruatione alia superat sal ammoniacum *). Vt autem spasmus a distendente vasa vterina sanguine natus sanguinisque fluxum praepediens soluatur, nec non, vt sanguis, qui forte alias partes versus congestus fuerit, ad vterum alliciatur, maximo auxilio sunt pediluuia vaporesque emollientes genitalibus admittendi; quibus frustra adhibitis, hyrudines, quae cumulatam sanguinis

*) Confer. viri et doctrina et experientia eximii C. A. G. BERENDS dissert. de salis ammon. vsu emmenagogo, Traj. ad Viadr. 1795. §. VII.

guinis copiam minuunt, atque amouendo ſpasmi cauſſam, vaſorum explicationem faciliorem reddere videntur, ad interiora femora applicandae ſunt. Quae autem remedia externa maiorem exſerunt efficaciam, ſi ſueta menſtruationis periodo adhibentur, qua nimirum autocratia ſua noſtris conaminibus adſpirare amat medicatrix hominibus inſita natura. Si debilitantes cauſſae chloroſin efficiebant, cura praecipue roborantibus remediis gerenda eſt. Nulla hic conueniunt remedia menſium fluxum directe mouentia, niſi manifeſta ſit in vtero humorum congeſtio, quae quantum valeat ad chloroſin augendam, vix nōtatu dignum eſt. Etſi vero in confirmata inueterataque chloroſi, ſanguinis humorumque accumulatio tum in vtero tum circa alia viſcera vtique locum habet: tantum tamen abeſt, vt emmenagoga remedia his aegrotis prodeſſe poſſint, vt potius ab irritante eorum virtute grauiter offendantur miſerae. Quum in curanda chloroſi de menſtruo fluxu vehementius promouendo nunquam cogitandum ſit, niſi fere iam ſublata chlorotica paſſione; tum inprimis, quoties morbus inueteratus omnes propemodo corporis vires conſumſit, plane abſonum foret, menſtruam ſanguinis euacuationem moliri. Namque bono corporis habitu reſtituto, viribusque inſtauratis ſimul omnes plerumque tollun-

tolluntur menifchefis cauffae fuamque fponte luftrationem vterus inchoat.

Quamuis vero haec ita fe habeant, miferae chloroticae nouas tamen calamitatis fuae acceffiones fingulis fere menftruationis temporibus pati folent. Has ad leniendas opium vix vnquam fruftra in auxilium vocabitur. Profunt quoque faepius Galbanum, Opópanax Afaque foetida cum modica camphora in pilulas coacta. Aliae e liquoris anodyni mineralis vel vegetabilis, inprimis radice valerianae per infufionem nobilitati vfu, aliquod leuamen percipiunt. Conuenit quoque, pedes ad femora vsque in pediluuium fatis calidum dimittere; decocta prius aqua cum femine fynapis herbisque nonnullis neruinis adiectisque cineribus vel fale vefco.

Chlorofi a vitio mechanico forte natae, quod raro, fi vnquam fieri antea monuimus, optime huius remotione medemur. Interim, pro varia aegrotae conftitutione, varia fimul interna adhiberi debent remedia aut debilitantia, aut roborantia. Quoniam autem vitia mechanica ex fe morbofa faepe aut non remoueri poffunt, aut fi tolluntur, facile regenerantur: facile perfpicitur, chlorofis ab his ortae medelam fumma premi difficultate, immo a peritiffimis viris nonnunquam fruftra tentari. Remedia, quae

a

ad tollendam menischesin proprie accommodata sunt, tanquam ab argumento meo aliena, studio praetereo. Namque cachexiae chloroticae medicum prius mederi oportet, quam de prouocandis mensibus, acrioribus saltem emmenagogis cogitare licet; quibus plerumque post emendatum corporis habitum opus non esse solet.

§. IV.

De medico veneris in chlorosi vsu.

Est tamen, vbi hic morbus a veneris desiderio aut prorsus inani frustraneoque, aut saltem non satiato in puellis viro maturis, viduisque iuuenculis foeminisque maritis non satis potentibus nuptis, oritur. His foeminis, inprimis, si ex dissimulato celatoque amore perpetua animi aegritudine afficiantur, vel ipse Epidaurius frustra medicinam parauerit. Intestino igne certe consumentur, nisi iis licuerit, quocunque demum modo desiderium suum leuare probatissimoque remedio vti, quod OVIDIVS iis iampridem commendauit: vt

Sentiant ex imis venerem resolutae medullis.

Igitur his medici recte auctores sunt, vt sanitatis et recuperandae et confirmandae caussa

cauſſa *)] matrimonium ineant; ſiquidem tum ad vteri energiam excitandam, vt debitos legitimosque motus concipiat perficiatque, tum ad augendas totius corporis foeminini vires, vitioſamque eius incitabilitatem exſtinguendam grato cum amato viro concubitu, nihil aptius eſt atque efficacius. Quamuis vero haec ita ſe habeant, minime tamen iis medicis aſſentimur, qui ex veneris deſiderio chloroſin **) vnice eſſe putant; neque illis, qui ſolo veneris vſu chloroſi mederi volunt. Praeterquam enim, quod in grauiori morbo, qui a tabe vel phthiſi proxime abeſt, concubitus miſeras vehementer laederet, viribusque prorſus exhauriret; tantum abeſt, vt a denegata venere coactaque caſtitate omnes pallerent puellae chloroticaque aegritudine afficerentur, vt potius vel nondum maturas puellas, quod turpiſſima tribadum conſuetudine vſae, maxime nociua venere corpuſculum vehementiſſime debilitarunt, nec non foeminas immodica venere laſſatas, reſolutas atque exhauſtas ad chloroticam

*) I. N. KRÜNITZ de matrimonio multorum morborum remedio Traj. ad Viadr. 1749.

**) IOANN. CASP. KORTE de pallore virginum venerem indicante Hal. 1759.

roticam affectionem deuenire longe frequentiſſime videas. Vtraeque, niſi illae ab inuerecunda frictione omnino abſtineant, atque hae ſibi temperare diſcant: acerbiſſimas libidinis ſuae poenas dare ſolent. Adeo parum veritati conſentaneum eſt, in concubitu certum atque exploratum chloroticarum foeminarum remedium haberi, vt et amabilem ſexum praecepti, quod C. CELSVS *) virorum in vſum maxime ſcripſiſſe videtur, probe meminiſſe admodum iuuerit: „concubitum rarum corpus excitare, frequentem ſoluere.

*) L. I. c. I.

Sphalma corrigendum.

p. 16. l. 21. morboſae l. morboſa.